

REPERTORIUM

BIBLICUM

PARS I.

BS423
B4
v.1



EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis



1080014690

REPERTORIUM BIBLICUM
SEU
TOTIUS SACRÆ SCRIPTURÆ
CONCORDANTIÆ >

JUXTA VULGATÆ EDITIONIS EXEMPLAR

SISTI V. PONTIF. MAXIMI JUSSU RECOGNITUM
ET CLEMENTIS VIII. AUCTORITATE EDITUM

PRÆTER ALPHABETICUM ORDINEM IN GRAMMATICALEM REDACTÆ

A
SAC. MICHAËLE BECHIS

ET

INFALLIBILI ECCLESIAE MAGISTRO

SANCTISSIMO D. NOSTRO

LEONI PAPÆ XIII

DICATÆ

PARS I.

UNIVERSITAS LEONENSIS
M.º de la Corte y Teller

TAURINI
EX OFFICINA B. CANONICA ET FIL.
MDCCLXXXVII.



Capilla Alfonso
Biblioteca Universitaria

44550

220,
B

BS423

B4
v.1

OMNIBUS JURIBUS SERVATIS.



FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

SANCTISSIMO PATRI, ET INFALLIBILI ECCLESIAE MAGISTRO

LEONI PAPÆ XIII.

BEATISSIME PATER,

Omnes Sacrorum ministri, iique præsertim, qui arti concionatoriae incumbunt, apprime norunt, difficile admodum esse, ne dicam supra hominum vires, certas quasdam Sacr. Scripturarum sententias extemplo in memoriam revocare, vel etiam reperire in Concordantiis hucusque vulgatis, maxime si de illis sententiis agatur, quæ iisdem pene phrasibus ac vocibus constant.

Hæc in angustiis egomet sæpe constitutus, et post longissimas inquisitiones defatigatus, mihi tandem persuasi, rem optime feliciterque cessuram, si nova aliqua Concordantia ederetur, quæ faciliorem commodioremque viam præberet ad singula Scripturarum dicta, quæ inquiruntur, invenienda.

Fateor equidem, magno prorsus affectum fuisse gaudio, cum primum ad manus venit eximium illud *Manuale*, seu Compendium, egregia sane industria elaboratum a tribus viris S. J., pluriesque typis mandatum, quodque magni est in hac re momenti, ordine grammaticali cum alphabetico digestum. Veruntamen, re attentius perpensa, facile comperi, non pauca ibi deesse, quæ non solum utilia, sed prorsus necessaria mihi videntur. Quapropter animum subiit cogitatio, illud ipsum opus reficiendi, vel novum potius condendi, quod eundem ordinem retineret, plurimis tamen additis, quæ in illo desiderantur, ita ut omnium copiosissimum evaderet, et, ni fallor, Divini Verbi præconibus maxime accomodatum.

UNIVERSIDAD DE LEÓN
Biblioteca Valverde y Tellez

007880

At quis ego, et unde mihi tanta eruditionis doctrinaeque supellex, tantaque otii commoditas ad immane opus conficiendum, cui, multis abhinc annis animarum salutis procurandae unice intento, sacrarum litterarum studio subsecivis tantum horis vacare hucusque licuit? Nihilominus potenti ac benigno Deiparae Virginis patrocinio fretus, manum operi admoveere constitui, et post diuturnos, nec unquam intermissos labores, ad exitum perduxim.

Nihil igitur restat, nisi ut a Te veniam impetrem, Sanctissime Pater, opus meum, qualecumque est, excelso tuo Nomini inscribendi. Tua enim auctoritate suffultum, facilius apud Sacerdotes aditum inveniet, et quod praecipue mihi in votis est, ipsis etiam probabitur.

Provolutus igitur ad Sanctissimos Tuos Pedes, Beatissime Pater, suppliciter Te oro atque obsecro, ut eadem benignitate, qua omnes et singulos complecteris, opus Tibi dicatum excipere digneris, sique mihi optimam praebes opportunitatem, qua catholicis universis me socium adjungam ad Tuum Jubilaeum sacerdotalem, uti par est, celebrandum.

Interea Deum O. M. ex animo, vehementerque deprecor, ut Te incolumem diu sospitemque servet ad Ecclesiae Catholicae decus et incrementum, nec non ad totius reipublicae christianae prosperitatem.

Sanctitatis Tuae

Taurini, pridie calendas Majas, anni MDCCCLXXXVII.

Humillimus licet indignus filius
Sacerdos BECHS MICHAEL.



PRÆFATIO



« Quid est Sacra Scriptura, nisi quaedam epistola Omnipotentis Dei ad creaturam suam? » Sic pius lectorem compellabat S. Gregorius M., L. 4, ep. 31. Stude ergo, et quotidie Creatoris « tui verba meditare: discere cor Dei in verbis Dei. » Qui assidua meditatione colit Sacras Scripturas, inquit div. Bernardus, habet signum suae praedestinationis, quod et Dominus noster asseruit dicens: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Fastidire igitur tantum Dei munus Sacerdotibus nedum negligentiae, sed potius crimini vertendum esset. Valde propterea multumque falluntur, qui in rerum inutilium studium aetatem impendunt, qui nempe vanas et ineptas quaestiones agitare solent, divinis libris posthabitis, quibus satis temporis ac laboris sibi tribuisse videntur, quoties in unum vel alterum caput oculos conjecerint. Sanctorum Patrum vestigiis insistere debemus, per quorum manus traditae nobis sunt Sacrae Litterae, et genuinus quoque ipsarum sensus ad nos pervenit. Ex his enim fortiora, quibus adversus Haereticos pugnaent, petebant tela, simulque pabulum ad pascendos Christi fideles. Quamobrem non verum Dei praeconeum dixero, sed sophistam ac declamatorem, qui spreto S. Scripturarum, Sanctorumque Patrum sententiis, concionibus suis auditores vanis sermonibus delectare studeret, qui proinde velut aes sonans aut cymbalum tinniens habendus esset. Hac enim agendi ratione, populus inani pascitur cibo, et fraudatur solido, et quod magis dolendum, in tenebris ignorantiae relinquitur, cum aliunde quam ex sacris concionibus, scientiam salutis haurire nequeat, qui litteris vacare non potest. Hinc factum est, ut ab omnibus jam merito appelletur Scriptura Sacra primarius Religionis fons, idemque praecipuus Sacerdotis liber.

At, proh dolor! Quam debilis et infirma hominis memoria! Frequenter enim contingit, ut alicujus verbi, periodi vel sententiae quis obliviscatur, et quidem eo temporis momento, quo magis eis indiget. Et ita interdum obliviscitur, ut ne liber quidem vel caput menti succurrat, quo ea inveniri possint. Hinc pretiosissima, et nunquam satis laudata illorum librorum inventio, qui *Concordantiae* dicuntur et sunt, quique ordine alphabetico, prout in lexicis, singula ipsius Sacrae Scripturae verba continent in sententias vel periodos divisa una cum indicatione libri, capitis et versiculi, quo ea continentur. Et quis poterit eos omnes recensere, qui ab Hugone de Sancto Charo, qui omnium primus, ut fert communis sententia, huic operi adlaboravit, ad haec usque tempora prodierunt? Vix enim reperiri potest aliqua vel parva Bibliotheca, in qua non aliquod extet ipsorum exemplar. Nullum tamen ex ipsis ita elaboratum est, ut multa adhuc desideranda non habeat. Praecipua enim vero, quae in omnium manibus videntur, vel nimia sunt, vel ita congesta, ut nonnisi maxima cum difficultate, et longo temporis spatio possit quis ea invenire, quibus hic et nunc indigeat. Sint ad exemplum, illa verba a Deo prolata: **Poenitet enim me fecisse eos.** Quomodo eadem invenire poterit, si non adessent, prout non adsunt, sicut et alia multa, in illo ipso volumine, caeteroquin admodum pretioso, a tribus Patribus S. J. grammaticali ordine redacto, quodque tamen ita perbreve est ac deficiens, ut ne tertiam quidem vel quartam istius partem coequet, vel si adessent, forent permixtae, prout in omnibus aliis Concordantiis, inter quinque circiter vocum ac sententiarum millia (tot enim sunt in dictione **facio-ere**), praesertim

si ignoretur, aut memoria exciderit ipsemet liber, in quo leguntur? Nonne verum est, quod in prima facti specie frustra sibi esset adlaborandum; et in secunda, etsi, absolute loquendo, posset illa reperire, maxima esset difficultas sustinenda, et longum temporis spatium insu-
 mendum, percurrere scilicet totam, vel fere totam prædictæ dictionis seriem, tantum scilicet quantum necesse est ut perveniat ad locum quo continetur? Et hoc ego ipsemet sæpius expertus sum, quum sacris concionibus componendis operam navarem. Hinc est, quod ut huic incommodo occurrerem, præsens opus excogitavi, Deoque adjuvante complevi, ut ordine nempe grammaticali alphabetico adjuncto facillimam redderem cujuscumque Sacre Scripturæ sententiæ inventionem.

Præter ordinem itaque alphabeticum, quo mediante, omnes omnino ipsius Sacre Scripturæ dictiones (hoc est tam nomina et verba, quam præpositiones et adverbia) ita inter se disponuntur et ordinantur, ut priores sint quæ proximiores sunt litteræ **A**, et posteriores quæ sunt remotiores, ipsissimo illo ordine, quo habentur in omnibus aliis Concordantiis, habebitur etiam grammaticis, quo fit, ut singulæ unius ejusdemque dictionis sententiæ ita inter se disponantur, ut prius sint quæ juxta grammaticæ regulas nobiliores sunt, postea vero quæ sunt minus nobiles, non secus ac si essent singulæ diversæ dictiones. Quam ob rem:

1. In nominibus, ipsis indeclinabilibus comprehensis, ponitur prius casus nominativus, deinde vocativus, postea genitivus, dativus, accusativus et ablativus, et quidem prius quoad numerum singularem, postea vero quoad pluralem. Et hic ordo servatur etiam in adjectivis et participiis, sive præsentia ipsa sint, sive præterita, sive etiam futura, hæc tamen differentia, quod in unoquoque ipsorum casu prius ponitur genus masculinum, postea femininum, et tandem neutrum, nulla habita ratione ad majorem vel minorem terminationum numerum, quem habere possunt.

2. Verba vero, cujuscumque generis sint, ita inter se dividuntur, ut quolibet ipsorum suos habeat modos, modi autem sua tempora, tempora vero suas personas, personæ tandem suos numeros, et quidem eo ipso ordine, quo inveniuntur in grammaticis, et si quædam habentur, quæ, ut aiunt grammatici, duabus vocibus gaudeant, activa nempe et passiva, prius ponitur activa, postea vero passiva cum omnibus suis adminiculis, qualia sunt gerundia et participia.

3. Tandem ut prædicti ordines, alphabeticus nempe et grammaticus, illum pretiosum fructum, pro quo adhibiti sunt, afferre reapse possint, multiplici characteris genere usus sum; id est præter ordinarium, MAXIMO in capite omnium paginarum, et primam simul et ultimam denotat illarum dictionum, quæ in unaquaque pagina continentur, ex. gr. AARON, ABDA (pag. 3); MAJORI in medio unius, vel alterius, vel etiam utriusque columnæ, quæ constat unaquaque pagina, et initium denotat cujuscumque dictionis: ex. gr. ABDEEL, ABDEMELECH, ABDENAGO (pag. 4); medio per quamlibet dictionum seriem disperso, et initium denotat diversarum terminationum, sive vocum ab una eademque dictione fluentium ac derivatarum, ex. gr. **abilant**, **abil**, **abilisti**, **abilis**, etc. (pag. 4), et sic deinceps. Tandem literis italicis exarato (*currenti*) quodque quoties reperitur in prima cujuscumque columnæ sententiæ, et extra parenthesis (), dicit unam eandemque terminationem in pluribus columnis, vel etiam paginis reperiri. Sic ex. gr. *abilis*, quod habetur in prima utriusque columnæ pag. 5 sententiæ, nec non in prima primæ columnæ pag. 6, denotat vocem **abilis** adesse in secunda columna pag. 4, in utraque columna pag. 5, et in prima columna pag. 6.

4. At ne nimis augetur opus, consultum fuit parva linea — omnes ejusdem terminationis sententiæ indicare, ita ut quoties adest hæc parva linea, semper illa debet legi terminatio quo character medio vel currenti est supra expressa. Hinc si, ex. gr., in prima alicujus terminationis, vel columnæ sententiæ habetur **abilis** vel *abilis* (pag. 4 et 5), omnes parvæ lineæ, quæ subsequuntur, locum verbi **abilis** tenent, et semper *abilis* legendum est usque dum perveniatur ad subsequentem terminationem, quæ in casu nostro est: **abilimus**.

Quibus positis, jam quilibet sacerdos satis clare videre potest maximam facilitatem, qua gaudet præsens Concordantiarum liber, inveniendi scilicet quamlibet Sacre Scripturæ sententiæ. Revo-centur, si ita placet, in exemplum supradicta verba a Deo prolata: **Pœnitent enim me fecisse eos**. Nullus certe est inter sacerdotes, qui ignoret verbum **fecisse**, ut dicunt grammatici, esse infinitum perfectum vocis activæ verbi **facio-ere**. Aperiat ergo, qui ea quærit, præsentem librum, et inventa dictione **facio-ere** (quod facillimum est) quærat in ea prædictum infinitum perfectum, et illico inveniet quatuor tantum ipsum habere sententiæ, et istarum primam esse, quæ quæritur, quæque habetur Gen. cap. 6, vers. 7.

Attamen ad prædictam facilitatem, quæ forsitan paulisper imminui posset, non solum in suo esse conservandam, sed etiam magis magisque augendam, duo adhuc sunt hic adnotanda simul et admonenda, quorum unum respicit totum ipsius operis corpus, alterum vero solos Psalmos.


Et in primis quoad totum ipsius operis corpus certum est tam auctorem, quam cæteros omnes, qui ad ejus impressionem adlaborarunt, maximam adhibuisse diligentiam ad quemlibet errorem, in numeris præsertim, evitandum, ideoque in spem firmissime inducimur, ipsum undequaque perfectum existere. At, cum hominum sit errare, fere impossibile est, in tanta vel pene infinita numerorum ac sententiarum serie, aliquem vel parvum irrepere non potuisse errorem; hæc propterea de causa, si casu eveniret, quod quis aliquam sententiæ sub uno ipsius verbo quaerendo, non inveniret, quærat sub alio, et illico certe reperiet.

Ad Psalmos autem quod attinet, notandum est diversam in diversis Sacrorum Bibliorum exemplaribus inveniri versiculorum numerationem, ita ut sæpissime contingat, ut quod in uno notatur versiculo numero 1, in alio sit numero 2, vel etiam 3 notatum. Sint ad exemplum illa verba, quæ leguntur in Psalmo 59: **Deus repulistis nos, et despexistis nos**, quæque, sicuti videri potest, dum in quibusdam exemplaribus citantur versiculo notato numero 1, in aliis e contra reperiuntur numero 3; cujus diversitatis ratio in eo tota consistit, quod dum priora exemplaria ipsamet titulum tanquam unum, vel etiam plures versiculos computant, alia, e contrario, a versiculorum numeratione ipsum excludunt.

Est et alia diversitas, quæ in eo consistit, quod quidam adsint e Psalmis, qui dum in aliquibus exemplaribus unum tantum exhibent numerationis ordinem, duos habent in aliis, sicut ex adverso alii sunt qui dum in aliquibus exemplaribus suam propriam numerationem tenent, in aliis antecedentis numerationem acceptant ac prosequuntur. *Vide pro primis Psalmos 9 et 113, et pro secundis tum 114 et 115, tum etiam 146 et 147.*

In mentem igitur revo-centur hæc monita quoties aliqua sententiæ quæretur in Psalmis et illico non invenietur; ideoque vel quæretur aliquibus versiculis ante vel post dictum a Concordantiis, vel examinato Psalmo, de quo agitur, et computatione facta, si de sex supra-citatis est, quæretur in loco illi proximo, quo inveniri possit.

Quam maximæ interim gratiæ sunt mihi agendæ tum Sanctissimæ et Individuæ Trinitati, Patri et Filio et Spiritui Sancto, tum etiam Gloriosæ semperque Virgini et Immaculatæ Dei Genitrici Mariæ, una cum Beato Joseph Purissimo ac Castissimo ejus Sponso, ac Beatissimis Apostolis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, præsertim patronis ac protectoribus meis, quorum potentem opem, sicut semper imploravi, sic semper expertus sum, quorum propterea auxilio deferre debeo quicquid boni in hoc opere reperitur.



CONCORDANTIÆ BIBLIORUM SACRORUM

VULGATÆ EDITIONIS

SIXTI V. PONTIF. MAX. JUSSU

RECOGNITORUM ATQUE EDITORUM

Prior numerus indicat caput cuiusque libri. Posterior autem designat versus capitulum. Littera H, quam sæpius reperis in indicatione Psalmorum, significat juxta Hebræos; Littera vero L. juxta Latinos.

A

A.

- A (Prepositio).**
- Gen.* 1. 4 Dixit lucem a tenebris
2. 8 Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis — principio
Et deinceps omittitur hæc prepositio quæ inveniri poterit multoties.
- A et Ω.**
- Apoc.* 1. 8 Ego sum **A** et ω , principium et finis
21. 6 Ego sum — et ω , initium et finis
22. 13 Ego sum — et ω , primus et novissimus
- AAA.**
- Jerem.* 1. 6 **A. a. a.** Domine Deus: ecce nescio loqui
14. 18 — Domine Deus: Propheta dicitur eis
- Ezech.* 4. 14 — Domine Deus: ecce anima mea non est polluta
20. 49 — Domine Deus: ipsi dicunt de me
- Joel.* 1. 15 — diei; quia prope est dies Domini
- AARON.**
- Exod.* 4. 14 **Aaron** frater tuus Levites
30 Locutusque est — omnia verba
5. 1 Post hæc ingressi sunt Moyses et —
6. 23 Accepit autem — uxorem Elisabeth
26 Iste est — et Moyses
27 Iste est Moyses et —
7. 1 — frater tuus erit propheta tuus
6 Fecit itaque Moyses et — sicut preceperat Dominus
7 Erat... — octoginta trium (*annorum*)
10 Ingressi itaque Moyses et —
Tulique — virgam coram Pharaone
20 Feceruntque Moyses et — sicut...
8. 6 Extendit — manum super aquas
12 Egressisque sunt Moyses et —
17 Et extendit — manum
10. 3 Introierunt ergo Moyses et — ad Pharaonem
11. 10 Moyses autem et — fecerunt omnia
16. 6 Dixeruntque Moyses et — ad... Israel
10 Cumque loqueretur —
34 Posuitque **Aaron** — in tabernaculo
17. 10 Moyses autem et — et Hur ascenderunt

AARON

- Exod.* 17. 12 **Aaron** autem et Hur sustentabant manus
18. 12 Veneruntque — et omnes seniores
19. 21 Ascendisse tu, et — tecum
21. 1 Ascende ad Domuum tu, et —
9 Ascenderuntque Moyses et —
27. 21 Collocabant eam — et filii eius
28. 1 —, Nadab, et Abiu, Eleazar, et Ithamar
12 Portabitque — nomina eorum
29 Portabitque — nomina filiorum Israel
35 Et vestietur ea — in officio ministerii
38 Portabitque — iniquitates eorum
43 Utentur eis — et filii
29. 10 Imponentque — et filii eius manus super caput
15 Super ejus caput ponent — et filii eius manus
19 Super ejus caput — et filii eius ponent manus
26 Quo initiatus est —, sanctificabisque
28 Quo initiatus est — et filii eius, cedentique
29 Qua (*teste*) utetur —
32 Quibus vescetur —
30. 7 Adolebit incensum super eo —
10 Deprecabitur — super cornua
19 Lavabunt in ea —, manus suas ac pedes
32. 2 Dixitque ad eos: Tollite in aureas
5 Quod cum vidisset —, edificavit altare
25 Spoliaverat enim eum (*populum*) —
35 Pro reatu vitali, quem fecerat —
34. 30 Virides autem — et filii Israel cornutam Moysi faciem
31 Reversi sunt tam — quam principes
30. 1 Quibus indueretur — quando ministrabat
41 Quibus sac... utantur in sanctorio...
40. 29 Laveruntque M. et — ac t. manus... et pedes
- Levit.* 6. 16 Partem simile comedit — cum filiis
8. 14 Cumque super caput ejus posuisset —
18 Cum imposuissent — et l. manus suas
22 Posueruntque super caput ejus — et l. manus suas
31 — et filii eius comederunt eos
36 Feceruntque — et filii eius cuncta
9. 8 Statimque — accedens ad altare
21 Separavit —, elevans coram Domino

De mandato Emin.^{mi} ac Rev.^{mi} D. D. Card. Archiepiscopi Taurinensis Repertorium Biblicum, seu Concordantiæ etc., a Sac. Michaële Bechis exaratum, diligenti revisione peracta, probatis Vulgatæ editionibus omnino consonum, ac in omnibus absolutum reperi; nihil propterea ob stare, quin edi possit.

Taurini, 7 maji 1887.

A. SARACENO, OP. PR., *Rev. Eccl.*

V. imprimatur.

CAN. BARTH. ROETTI, *Prov. Gen.*